

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Mejer Georgius Boetius

**Disputatio XIII. Collegii Metaphysici : De Eodem, Diverso, Et Reliquis modis
Unitatem Consequentibus**

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72912391X>

Druck Freier  Zugang



5R

R. U. phil. 1609. 10.

12 ggl.

35 1717




DISPUTATIO XIII.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
EODEM, DI-
VERSO, ET RELIQVIS
modis Unitatem Consequentibus.

Quam
AUSPICE CHRISTO
In alma Rosarum Academia
PRÆSIDE
M. GEORGIO MEIERO
Duderstad. Sax.

Defendendam suscipiet
GEORGIUS BOETIUS
Lyomenis Holsat.
Ad diem 13. Octobr horis pomeridianis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno 1515 C.X.





DE EODEM, DIVERSO, ET RELIQVIS MODIS, UNITA- TEM CONSEQUENTIBUS.

Theorema I.

Idem oppositæ distinctionis est negatio.

De priori, qui unitatem consequitur, modo, toto
videlicet, in præcedenti disputatione actum est;
sequitur ut & de posterioribus, eodem nimisrum,
equali, simili, non nihil agamus. Eritq; hic ul-
timus Metaphysica generalis actus.

II. Dicitur vero idem vel per accidens, vel per se. De eodem
per accidens hic magnopere non sumus solliciti. Idem per se qua-
taor dicitar modis. Quadam genere sunt eadem, ut homo & leo:
Quadam specie, ut Petrus & Paulus: Quadam numero, ut
Julius & Cæsar, idem individuum respicientes. Quadam propor-
tione, que de uno genere secundum prius & posterius partici-
pant, ut substantia & accidens.

Theorema II.

Eidem opponitur diversum.

Diversum est, quod est aliud quid, & opposito plane modo,
arq; idem, dicitur. Definit Ramus, lib. 1. Dial. c. 12. diversa,
quod solâ ratione dissentiant, quæ tamen definitio non paucis la-
borat absurditatibus. Quadam diversa solâ ratione dissentire
concedimus, sed omnia, pernegamus. Nam ut exemplum reti-
neamus

neamus idem, quo ipse usus fuit Ramus: Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses: Hic formositas & facundia sunt diversa, sed non solā ratione differunt. Etenim cum formositas esse posit sine facundia, non video, quomodo nudā ratione differre queant. Quorum unum esse potest sine altero, ea re ipsa differunt. Praterea differunt formositas & facundia subjectis. Illa enim hæret in corpore: hac in animo. Quæ autem subjectis differunt, re differunt, non ratione. Tandem etiam definitione essentiali differunt. Quare neutiquam solā ratione differre possunt. Constituitur vero diversum duplex, pro duplice rerum diversitate, distinctione scilicet & oppositione, distinctum & oppositum.

Theorema III.

Distinctio est diversitas rei sine omni pugna.

Et est triplex: rationalis, modalis & realis. Distinctio rationalis est, quæ formaliter & actualiter non est in rebus, quæ sic distinctæ denominantur, prout in se existunt: sed duntaxat prout substanti conceptibus nostris, & ab illis denominationem quandam accipiunt. Et constituitur à Thoma duplex, pura & eminens. Distinctio pura, alia distinctio rationis ratiocinantis dicta, nullū peritus in ipsis rebus habet fundamentum, sed à solo intellectu nostro formatur, atq; sic differt dextrum & sinistrum in columna. Distinctio eminens, alia rationis ratiocinata distinctio dicta, fundamentum quidem in rebus habet, sed non in se consideratis: verum virtutum, seu affectuum ratione. Sic in lumine alia vis est rarefactens; alia cal. faciens; alia exiccans. Hic enim licet una eademq; sit qualitas, tux nempe: quia tamen virtutes, seu effectus, rarefactio videlicet, calefactio & exiccatio à luce orti distinguuntur, & ipsa virtus in luce distingui dicitur.

II. Distinctio modalis intermedia quæ inter rationalem & realem

realem, est distinctio rerum per suos positivos modos. Et reperi-
tur in rebus ante operationem intellectus nostri: sed non est tanta,
quanta est inter duas res, sive entitates omnino distinctas: sed mi-
nor est reali, major tamen rationali distinctione. Nam licet quidem
plenariam differentiam, qualis inter rem & rem reperi-
tur, non ponat: distinctionem tamen quandam, extra mentem re-
linquit, qualem inter Ens & affectiones ejus ponimus. Ens enim
& affectiones Entis, non nuda ratione differunt, quia affectiones
Enti revera insunt citra mentis nostra cogitationem, opera-
tionemque: neq; etiam realiter differunt, quia non differunt ut res
& res, seu quod idem est, ut Ens & Ens: ratio in promptu est, quia
affectiones non sunt Ens ipsum, sed modi Entis. Ergo relinquitur
necessario, quod modaliter differant.

III. Distinctio realis est, quæ in ipsa natura rerum immedia-
tè extra animum consistit, & inter duas res distinctas, quarum
una non est altera, versatur. Et subdividitur in formalem, &
realem specialiter sic dictam. Formalis distinctio est earum re-
rum, quæ in vicem sibi sunt subordinata, quæ distinctione homo
ab animali distingui dicitur. Distinctio realis specialiter sic
dicta est rerum earum, quarum una ab altera separari potest.
Hoc modo aqua & frigus distinguitur dicuntur, quia frigus ab aqua
separari potest. Atq; hac distinctio datur triplex: Alia enim
sunt genere diversa, ad quorum classem referuntur primò indivi-
dua diversarum specierum, ut Alessander & Bucephalus: Dein
species diverorum generum, ut virtus & numerus: tertio
ipsa summa genera, ut quantitas & qualitas. Alia specie sunt
diversa, quæ ex uno genere orta per specificam differentiam sejun-
guntur, ut homo & leo. Quadam numero sunt diversa, ut
Petrus & Paulus, individua unius speciei.

Theorema IV.

Oppositio est diversitas rerum cum pugna.

I. Alterum diversitatis consequens est oppositio, quae ad minimum inter duo consistit. Idem enim sibiipsi non opponitur. Et constituitur quadruplex: contradictoria, contraria, privativa & relativa.

II. Contradictoria oppositio, sive contradictio est oppositio prima Entis & non Entis, ac formatur ab intellectu nostro, omnium primò concipiente Ens & non Ens. Distinguit vero semper verum à falso. Hinc natum axioma: Contradicторia simul vera esse non possunt, aut falsa: sed unum eorum necessariò verum, alterum falso. Non vero in omnibus determinatè verum à falso distinguunt. In rebusquidem de præterito & præsenti oportet necessariò contradictiorum unum verum, alterum falso esse: In ijs vero quæ sunt de futuro non item: quia futura pleraq[ue] contingentia existunt, de quibus affirmari certi haud quicquam potest. E. g. cum dico: eras erit bellum navale: eras non erit bellum navale. Harum propositionum determinatè vera nulla est, neq[ue] falsa: una tamen earum necessariò vera, altera falsa, quæ autem ea sit, ignotum.

III. Est vero contradictio omnium oppositionum prima & maxima, quia maximam habet repugnantiam & distantiam terminorum: termini enim, qui contradictoriè opponuntur, nec in veritate, nec falsitate inter se convenient. Deinde causa est & veluti mensura reliquarum oppositionum omnium. Quacunq[ue] enim opponuntur, ideoè opponuntur, quia simul in uno Ente existere non possunt. E. g. pater & filius opponuntur lux & tenebra; dulce & amarum, quia in uno Ente, respectu eodem existere non possunt. Qui enim filius est, pater non est; nec lux tenebra; nec dulce amarum. Porro contradictio omnium oppositionum est simplicissima: quia nullam aliam antè supponit, neq[ue] in se includit. In omni autem genere, ut loquitur Philosophus, aliiquid est primum & simplicissimum. Tandem omnis simpliciter medijs est expers, reliqua vero oppositionis species medium liquod

liquod admittunt. E. g. inter cæcitatem & visionem datur medium, non visio: lapis enim neg^cæcitus est, neq^z videns. Similiter inter tenebras & claram lucem datur medium, crepusculum.
IV. Contraria, sive contrariè opposita sunt, quorum unum us. ni è regione perpetuò adversatur & opponitur. Sic virtus & vi- tium, bonum & malum contraria sunt, quia perpetuò sibi invi- cem adversantur & repugnant. Oportet autem contraria semper idem habere genus. Sic virtus & vitium contraria sunt, quia idem habent genus, habitum scilicet. Præterea contraria se mutuò ex eodum subjecto pellunt. Sic vitium pel- lit virtutem, & virtus vitium, ideoq^z contraria mutuò sese cor- rumpunt & destruunt. Contraria deniq^z contrarias partici- pant definitiones, quia contrariorum contraria est ratio. Sic virtus definitur habitus, cum recta ratione, ejus quod bonum est, electivus. Et contra, vitium definitur habitus ejus, quod ma- lum est, contra rationem electivus.

V. Semper vero contrarietas duorum est, quorum unum ra- tionem habet unius oppositorum: alterum alterius. Quod vero in Ethicis primò virtus extremis, & postmodum extrema inter se opponantur, illud non facit contraria plura inter se opponi, se- quidem duo extrema habent rationem uniuersorum, respe- ctu virtutis: Virtus enim bonum est, extrema malum. Li- cet ergo virtus una duobus extremis opponatur: semper tamen bonum malo opponitur. Aliâ autem oppositione extrellum ex- tremo opponitur, sub ratione scilicet defectus & excessus.

VI. Privativè opposita sunt, quorum unum negatur in eo subjecto, in quo alterum suâ naturâ fuit. Sic visui cæcitas priva- tivè opponitur, quia & visus & cæcitas idem habet subjectum, quod est oculus. Et itaq^z oppositio privativa nihil aliud, quā pu- gnantia inter habitum & privationem. Habitus dicitur ipsa évé- yxa, sive functio: privatio vero functionis cessatio, sive absentia.

VII. Requiruntur vero ad privationem duo: 1. subjectum habi-

babile & idoneum. Nam lapis non recte dicitur cæcus, quia non est idoneus ad suscipiendum visum. 2. tempus justum, & à natura determinatum. Catulus siquidem non dicitur cæcus ante diem nonum, quia nondum adest tempus justum visionis.

11 X. Est vero privatio, vel privans; vel negans. Privans in subjecto & ceteris five habitudinem ad recuperandum habitum relinquit: Negans vero omnem habitudinem & dispositionem ad recuperandum habitum tollit. Sic moribus privatio est sanitatis: relinquitur enim in homine agroto habitudo ad recuperandam sanitatem. Mors vero negatio est vita, quia per mortem omnis tollitur dispositio subjecti ad vitam, per naturam scilicet, non vero per gratiam, quia in die novissimo mortuos resuscitat Dominus. Hinc recte dicimus: A privatione ad habitum datur regressus: à negatione non item. Alij distinguunt inter privationem totalem & partialem. Totalem quam vocant, nos vocamus, negantem partialem, privantem. Quando ergo dicunt, à privatione ad habitum non dari regressum, illud de totali, non partiali intellectum volunt.

IX. Relativè opposita sunt, quæ se mutuo ponunt & tollunt, ita ut unum sine altero neg. esse, neg. cognosci possit. Unde etiam hæc oppositio omnium est infirmissima, immo à pluribus à numero specierum oppositionis penitus removetur, cum relatum correlato non propriè opponatur, sed potius idem ponat, ac tollat. Nam ex accidenti saltem contrarietas relativae est. Sic pater & filius contraria non sunt, neg. Dominus & servus: Ratione vero enunciationis dicuntur contraria, ut cum dicco: Pater est. Ergo filius non est. Hac de eodem & diverso: sequitur æquale & inæquale.

Theorema V.

Aequalia sunt, quorum quantitas est una.
Æquale ipsis tribuitur Entibus, quæ convenient quantitate;

vel

vel continuâ; vel discretâ. Qua continuâ, propriè dicuntur aequalia, sic lignum ligno est aquale: Qua discretâ, paria vocantur, sic exercitus exercitui par dicitur, quoad numerum. Quantus vero parium vox ad convenientiam graduum extendi solet. Sic Platonem dicimus parem Socrati, quoad eruditionem.

Theorema VI.

Aequalibus opponuntur inæqualia.

Sunt vero inæqualia, quorum quantitas est diversa. Et discrepare quantitate tam continuâ, quam discretâ. Sic lineam sex digitorum dicimus inæqualē linea quatuor digitorum: Acervum minorem dicimus imparem majori. Tantum de aequali & inæquali; sequitur simile & dissimile.

Theorema VII.

Similia dicuntur. quorum qualitas est eadem.

Intelligimus vero sub qualitatis identitate omnem convenientiam & analogian, qua inter res intercedit. Sic dicimus similia esse mentem & oculum: ut enim oculus, obiecto praesenti videt: sic mens praesenti phantasmate intelligit. Dicuntur autem similia. 1. qua idem passa sunt: ut qui ex agritudine & macrone eundem colorem contraxerunt. 2. qua pluribus inter se convenient, quam discrepant. Sic duo fratres gemelli dicuntur similes, quia lineamentis externis conveniunt. 3. qua eadē prædicta sunt qualitate. Sic aqua calida dicitur similia alteri rei itidem calida. 4. qua eadem prædicta sunt præstantia. Sic duo generosa vino, qua eandem habent colorem, saporem & odorem, similia dicuntur.

B

Theor e-

Theorema IX.

Similibus opponuntur dissimilia.

Dissimilia sunt, quorum qualitas non est eadem, ac plerumque secundum magis & minus, seu intensiōrem & remissionem comparari solent, que quidem ejusdem sunt speciei. Nam non recte dico: lapis est magis rūdis, quam homo: quia non sunt ejusdem speciei. Prater hosce modos unius, alij adhuc unitatem consequuntur, finitum videlicet & simul.

Theorema IX.

Finitum est quod unitate transcendentali est determinatum.

Finitum propterea sequitur unitatem, quia omne terminatum est. Nequit autem terminari, nisi unitate: Unde etiam omnis multitudo qua finita est, unitate terminatur. Non vero unitas numeralis fundamentum esse potest, hujus finitatis, eò quod plurima Entia finita ab unitate numerali discedant. Sic numerus centenarius est finitus, & tamen ab unitate numerali determinari non potest.

Theorema X.

Finito opponitur infinitum.

- I. Infinitum dicitur id, cuius virtus & perfectio nullis includi potest terminis. Atq. hac ratione solus Deus dicitur infinitus. Generalius infiniti vox si accipiatur, dicitur omne id infinitum, quod ab unitate transcendentali non terminatur, sicq; accedit ad non Ens, quia id, quod non est unum, etiam non est Ens.
- II. Communissima infiniti divisio est, in id, quod actu est infinitum & quod potentia. Actu infinitum in natura rerum non datur, quia ipsa est finita: sed potentia, cuius tamen infiniti facultas ejus conditionis est, quod in actu perfectum transmutari possit.

minime posse: actum enim semper cum potentia habet coniunctum.

Varijs autem modis infinitum in hac significatione iterum sumitur. Nam 1. infinitum dicitur, quod pertransiri nequit, sive terminari, cum quantum non sit, & ob id divisionem nullam admittat: ut sunt punctum & unitas, quae infinita negativè dicuntur, quandoquidem quanta non sunt, aut dividua. 2. Quod pertransiri potest, sed sine fine, id est, cuius magnitudo in infinitum est extensa. Sic Mathematicus postulat lineam infinitam, b. e. indeterminata magnitudinis, ac eorum extensam, ut inservito ipius sufficiat. 3. Quod pertransiri quidem potest, sed tamen cum maxima difficultate, quemadmodum est via ab oriente in occidentem. 4. Quod pertransiri non potest, propter impedimentum: sive quod sine fine quidem non destituitur, sed ad quem pervenire nemo posse, quemadmodum est profundum maris, & centrum terræ: finitus enim est utriusq; terminus, sed quem vix quisquam consequatur. 5. Cuius sectio & adjectio, b. e. divisio & compositio absq; fine perpetuatur, quemadmodum in quantitate continua & discreta accidit. In illa enim minimum dari non potest, semper enim quicquam remanet, quod dividi insuper queat, quia nullum magnum, & divisibile potest resolvi in non magnum, & indivisibile: In hac vero non datur maximum: maximus enim numerus, datâ unitate, semper fit major.

Theorema XII.

Simul alia dicuntur tempore, alia naturâ.

Simul tempore dicuntur, quæ eodem tempore vel generantur, vel existunt. Sic agens & actio tempore simul sunt, quid propter actionem agens dicitur. Hoc loco non attenditur, quod agens rā rā prius sit actione ipsâ: re ipsâ enim simul sunt. Simul na-

tura

surā dicuntur, qua nomen & essentiam ex sese mutuò partici-
pant. Sic naturā simul relata esse dicuntur.

Theorema XII.

Simul opponitur prius & posterius.

Dicitur autem unum altero prius, vel essentiā; vel cogni-
tione; vel quantitate. Priora essentiā sunt. 1. qua possunt esse si-
ne alijs: alia vero non sine ipsis. Sic prima mentis operatio
prior est secundā, quia illa potest esse sine hac: non vero contrā,
hac sine illa: secunda enim semper primam presupponit. 2. po-
tentia prior dicitur actu, ratione scilicet generationis. 3. actus
prior potentia, ratione perfectionis. Cognitione prius 1. dicitur
id, quod respectu nostra cognitionis prius est: sic singularia.
priora dicuntur universalibus. 2. partes definitionis priores di-
cuntur definitio. 3. passio subjecti prioris, prior passione subjecti
posterioris. Quantitate deniq; priora dicuntur. 1. ea qua sunt
in ordine ad totum. 2. qua tempore alia precedunt. 3. qua prius
ad motum concurrunt: Sic prius dicitur illud, quod moventis
primo vicinus est. Atq; tot sunt modi prioris: quot etiam poste-
rioris intelligas.

C O R O L L A R I A.

I.


An præter distinctionem rei & rationis, alia aliqua
concedenda sit? A.


II.

An idem Ens à seipso possit realiter differre, ut vult
Timplerus lib 3. Met. c.6. q.5. ? N.

III.

An contradic̄tio tantum sit in integris propositioni-
bus? N.





306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corruptitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dare licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorem III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. Id est, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant homines. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus ut formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenti, boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3



Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 1234567890